

From Hermann von der Hardt (ed.), *Magnum oecumenicum Constantiense Concilium*,
vol. 2 (Frankfurt and Leipzig, 1696), col. 169-76

[col.169/170] Andreae Lascharii electi Posnaniensis,
Regis Poloniae et magni Ducis Lituaniae ad Constantiensem Concilium legati,
oratio ad Sigismundum Imperatorem
in Constantiensis Concilii principio anno 1415 mense Januario habita
de pace et unione ecclesiae per Sigismundum Imperatorem Constantiae paranda.
Ex manuscripto Academiae Lipsiensis

Hoc titulo:

Collatio, facta per Dominum Andream Lascharii, electum Posnaniensem, in Concilio
Constantiensi, coram rege Romanorum semper augusto et suis, praesentibus electoribus
Imperii et multis aliis.

[col. 169] Cum fabricator mundi, Rex gloriae, autor pacis et amator, cujus judicia abyssus
multa, quique stabilis manens cuncta dat moveri sua ineffabili providentia, mundum
senescentem et in maligno positum conspiceret, tuam praecelsam majestatem, o sublimis
et invictissime rex Romanorum et monarcha, constituit super omnes gentes et regna, ut
dissipares gentes, quae bella volunt, scutum et arma confringeres, pacemque propalares.
Tuo namque imperio profecto paret orbis, Scriptura testante: Subjecti estote omni
creaturae, sive regi tanquam praecellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis ad
vindictam maleficorum, laudem vero bonorum. Quia sic voluntas Dei. I. Petr. II. De
majo. et obe. I. I. t. 33. c. 6. Sollicitae.

Pretiosum quippe pacis donum, quod suis fidelibus per multitudinem coelestis
militiae nascendo attulit, vivendo docuit, et regiae tuae curiae pervigili quam strictius
commendavit. Quique post, extremum transiturus de hoc mundo ad patrem, sponsae suae
Ecclesiae, cui officio advocacionis et defensionis feliciter praesides, sequenti themate pro
testamento ultimo sic inquires reliquit pacem: Pacem meam do vobis, pacem relinquo
vobis, Joh. XIII. et in ca. I. Nisi bella, XXIII. q. I.

Rex pacificus pia miseratione disposuit, inquit Gregorius in prooemio
Decretalium, sibi subditos fore pacificos et modestos. [col. 170] Sed effrenata cupiditas,
suae prodiga pacis, aemula mater litium, materiam jurgiorum generat, ut, nisi Romani
imperii justitia conatus ejus sua virtute reprimeret, jus humani foederis litigiorum abusus
extingueret, et, dato paci libello repudii, concordia extra mundi terminos exularet.

Ideoque, Evangelica ut docet historia, venit in mundum, ut pacem doceret, Matth.
X. et Matth VIII. XXIII. q. I. ca. Nisi bella. Qui et Princeps pacis dicitur sermone
prophético, Es. IX. scilicet, Pater futuri seculi, et Princeps pacis, vera sapientia, Christus
Jesus, qui omnia condidit in pace, naturaliter pacem inserens creaturis, ut pacem amarent,
et ad pacem tenderent, ac in pacis pulchritudine habitarent.

Numquid plerique insatiabiles et sylvagae bestiae sunt, et leones, vulpes, ursi,
lupi, et trigides, qui filiis suis immurmurant, et pacata feritate blandiuntur? Quis milvus,
quantumvis solitarius rapinis circumvolat, nonne in signum pacis conjugium copulat,
nidum congerit, ova fovet, pullos alit, et quasi cum matrefamilias societatem domesticam,
quanta potest pace, conservat? Et ob hoc rationalem creaturam, quae est homo, ad pacem
suam ordinavit, quatenus vivensin pace temporis, dulcissima sua visione frueretur in pace
aeternitatis.

Quod coelestis Doctor, qui non didicerat [col. 171] ab homine, sed per revelationem Jesu Christi, considerans, dicebat ad Hebr. XIII Sine pace nemo videbit Deum. Et Augustinus de verbis Domini c. 68. Qui in pace non erit inventus a Patre, abdicatur a Filio, et nihilominus a Spiritu Sancto, alienus efficitur, nec ad haereditatem Dei poterit pervenire, qui testamentum pacis voluit observari.

Et idcirco a cunctis mortalibus pax expetitur, ut dicunt Philosophi: Bonum est, quod mones appetunt. Ethic. I. Pax enim bonum est, ut qui illam non habet, nihil habere dicatur, vel credatur. Glossa enim omnino super illud Psalmi: Pax super Israel! dicit: Omnia uno verbo dixit. Qui pacem non habet, infelix est.

Igitur Dei Filius, qui est pax nostra, et facit ex utroque unum, Ephes. II. de summis ad ima descendens, ipsamque pacem ingressu in mundum, progressu, et egressu e mundo sollemniter commendavit suis amatoribus, inquit: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, ubi thema.

In quibus verbis replicat suum nobile testamentum, implicat utile documentum.

Per primum inducimur ad virtutem, per secundum vehimur ad salutem.

De primo dicam modicum; De secundo nihil, brevitatis amicus.

Dico primo: Quod Redemptor noster, cujus sceptrum regia tenens Rex interris vices agitat, Apostolo scribente de Rege, Rom XII. Non enim sua causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit: Nobis replicat suum nobile testamentum, per quod ducimur ad virtutem. Pax enim est mentis serenitas, ut ait Augustinus de verbis Domini, Tranquillitas animi, vinculum amoris, simplicitas cordis, consortium charitatis. Haec est, quae bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordias sedat, et inimicos concordat. Ad quam habendam omnes hortatur Apostolus, si Deum habere volumus, II. Cor VII. Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.

Proinde, si Reges fidelium populorum, quia hujus regni non domini, sed ministri existunt, secundum voluntatem [col. 172] Dei regere sunt astricti, Sap VI. Summo opere est ordinanda, et sollicitè consummanda. Quoniam non nisi pacis tempore colitur pacis autor.

Et, quemadmodum humanus spiritus nunquam agitat membra nisi fuerint unita: Sic Spiritus S. ecclesiae membra nunquam vivificat, nisi pacis vinculo fuerint glutinata, secundum Augustinum de verbis Domini. Et alludit Beatus Benedictus in quodam sermone: Parum timet Diabolus jejuantes, continentes et vigilantes. Tam enim de illis, quam de istis multos in laqueum pertraxit. Sed concordēs et unanimes, conjuncti per pacis vinculum, dolorem, livorem, ac timorem ingerunt Diabolo.

Et ob hoc nemo ambigit, quantum sit nobile pacis testamentum, per quod ducuntur ad virtutem.

Verum, cum pax tam utilis sit hominibus, et salubris, heu cur tot guerrarum turbines per climata mundi affluxere, et discordias sator zizaniorum superduxit, sicut experitur infelix nostra aetas? Nisi, quia mandata Dei non custodimus, et in viis ejus non ambulamus, Baruch III. Nam, si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram. Et Prophetarum eximius David inquit: Si populus meus audivisset me, Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos illorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam, Ps. 71. Et ideo nunc hunc, nunc illum consumit gladius, III. Reg. II.

Dicat quaeso quispiam ubi sit pax, et ubi non formidetur repentinus interitus? En undique surgit gens contra gentem et regnum adversus regnum, sol et luna retraxerunt splendorem suum, hoc est, lumen apostolici culminis, et imperialis dignitatis eclipsantur Luc. XXI. Joel II. De Major. et obed. c. Sollicitae:

Et quid lugubri voce enuncio schisma inveteratum et cruentum, ecclesiam Dei crudeliter dilacerans? In quo effusa est contentio super principes, et errare eos fecit in invio et non in via. Et a quo ambitionis, avaritiae, simoniae, et multorum errorum in populo et clero, ignis vehementer exarsit. Nisi jam per tuum regiam providentiam extingvatur, **[col. 173]** ardebit usque ad inferni novissima Deutr. XXXII.

Pro quo extinguendo Principes orbis et potentes, et doctores sapientes XXXVII. annis laborantes defecerunt.

Et quo ad procliviora vergente, Romanus pontifex de loco urbis, sibi coelitus per duos imperatores pro domicilio deputato, cedens furiae, in vilipendium imperialis potentiae effugatur.

Ac demum finitimae Christicolarum partes, pacatissimum scilicet regnum Poloniae, scutum multorum fidelium, novit tua regia providentia, guerrarum tempestate quatitur minus juste.

Et Spiritu Sancto fundata nova proles ecclesiae, gens bellicosa Lituaniae, in latissimas diffusa provincias, quanquam neophyta, ejus tamen fides Deo est cognita, et nota devotio, efficiens Deo sacrificium vespertinum: Qui sunt revera spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione et hostili guerrarum turbine patientes, orationi insistentes, hospitalitatem sectantes, charitate fraternitatis invicem diligentes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes Rom. XII. et quibus vere diligentibus Deum pax multa debetur. Ecce incursibus hostium molestantur, qui foveri debuerant, ut novellae plantationes et arbusta, charitatus obsequio, ac exemplari doctrina per Christi fideles irrigari.

Quid plura deploranda dicam, inauditum et lamentabile? Nam populi Christiani quasi duo gemelli in Rebeckae utero, corpore videlicet Ecclesiae, undique scandalo colliduntur. Gen. XXV.

Numquid super his continebis te Domine Rex, et tacebis? Es. LXIV. Quinimo tu, qui regis Israel, intende et accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime rex, propter veritatem et justitiam. Qui ut alter David universum Israel in hanc novam Hierusalem, Constantiam, ad perpetuam tui nominis memoriam congregasti, vel congregari procurasti, ut afferas arcam Dei, nec non filio Aaron et Levitas, in locum eis praeparatum. Historia legitur I. Paralip. XIII. et XV. Arcam enim foederis sanctam ecclesiam non in congrue intelligo. **[col. 174]** In illa namque cum tabulis legis est virga Mosis et manna coeli. Habentur enim in ista sacramenta Scripturarum in pectore, et cum discretionem rigoris et justitiae mannam consuevit pietatis et mansuetudinis propinare, XLV. di. Disciplina.

Quoniam per illum Philistaeum damnatae memoriae, cunctis notum et liquidem, expulsus et effugatus est Dominus noster Johannes Papa XXIII. de illo suo habitaculo, a Deo sibi et hominibus praeparato.

Superest igitur, ut David noster manu fortis et pacificus, in cujus conspectu stamus, Romanorum et Hungariae praepotens rex, et felicissimus triumphator, semper augustus, paces loquatur gentibus, scissuram ecclesiae consuendo, ipsamque ad

habitationem suam pristinam reducendo: Et, quod manus pontificum explere non praevaleret, ipse Deo juvante perficiat et consummet.

Nam, ut ait Isidorus: Inter ecclesiam potestates seculares necessariae non essent, nisi, quod non praevaleret sacerdos efficere per doctrinae sermonem, potestatis hoc imperet per disciplinae terrorem: Ipsamque disciplinam, quam ecclesiae utilitas exercere non praevaleret, cervicibus superbiorum potestas imperialis imponat: Et ut venerationem mereatur, virtute potestatis impertiatur.

Cognoscant principes seculi, Deo se debere esse reddituros rationem propter ecclesiam, quam Christo tuendam accipiunt. Nam sive augeatur pax et disciplina ecclesiae per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam ecclesiam credidit committendam, XXIII. q. v. c. Principes.

Unionem sanctae matris ecclesiae, desideratam cunctis gentibus et lamentis diutius expectatam, propulsato crudeli schismate, in hoc generali Constantiensi concilio, Deo opitulante, et constanter modis canonicis atque justis efficaciter procurabis. Quoniam exemplo religiosissimi principis Constantini, praedecessoris tui, non ad potentiam ostendendam synodali tractatu interesse te oportet, sed ad veritatem inveniendam, ne ultra multitudo pravis doctrinis attracta et **[col. 175]** distracta discordet. XCVI. d. c. Nos ad fidem, et LXIII. di. Adrianus.

O te vere felicem principem, qui tali modo voluntarios labores appetitis, ut possis aliis praeparare quietem, et si haec terminanda divina clementia tibi reservavit.

Eja ergo, domine rex, post Christum rex regum, et domine dominantium. Ecce, unxit te Dominus super haereditatem suam, in principem, et tu liberabis populum ejus de manu inimicorum, I. Reg. X.

Et ideo, omne quod est in corde tuo vade et fac. Quia Dominus tecum est. II. Reg. VII. Quin in occursum adventus tui omnes principes terrae surrexerunt de solis suis, Es. XIV. Et praepara te, et instrue omnem multitudinem hanc, quae coacervata est ad te, et esto eis in praeceptum. Ezech. XXXVIII.

Nec solvatur quodammodo de regali tuo corpore, nec de tuae tremendae majestatis potenti exercitu, prius militiae cingulum, quam tibi victori cedat adversitas praeliorum. De Ren. c. I. Unde. Siquidem feliciter conservatam arcam Dei ad locum sibi praeparatum, de quo parum locutus sum, eurabis reducere, superbiorum et sublimium colla contra haec reluctantia propria virtute calcabis.

Adsunt enim in praesentiarum venerabiles et reverendi in Christo patres, sacri antistites, doctores, et magistri, magnificque nobiles et strenui milites, et ego, parvulus, missi a praeclaris principibus, Dominis Uladislao rege Poloniae et cetera et Alexandro, alias Witoldo, magno Duce Lituaniae, cum aliis eis assistentibus, majestati **[col. 176]** tuae regiae sincero cordis glutino, in charitate non sicca, ad quaevis beneplacita et grata confidenter astricti. Qui potestati vestrae regali volunt, et optant flammato desiderio in facto tam utili, tamque necessario, et laudabili totius orbis negotio efficaciter in Domino assistere, cum pleno mandato regni Poloniae, et dominorum suorum, suscipiendi, approbandi, et exequendi universa et singula, quae celsitudo vestra cum sanctissimo domino nostro domino Johanne Papa XXIII, et cum sacro concilio Constantiensi statuere et ordinare decreverit, ad laudem et honorem Dei, et ad salutem omnium populorum, et ad Romanae et aliarum ecclesiarum commodum et immunitatem.

Ad quae votive perficienda oramus omnes curvi, mitti tibi e coelis rectitudinem Mosis, Zelum Pinehae, mansuetudinem Davidis, Trajani justitiam, sapientiam Salomonis,

ac genitoris tui item ac divae memoriae Caroli IV. religiosam prudentiam, qua mundum subjecit, et in suum amorem convertit.

Propter quae timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terrae gloriam tuam. Ps. CI.

Ecclesia enim universali sacrosancta ad debitae unionis integritatem ad integram unionem, operatione felici serenitatis vestrae reducta, ac sacratissimo Romano imperio in pristinam libertatem restaurato, facilius indubio ad particularium provinciarum pacem et regnorum pervenitur.

Quod sollicito animo et corde religioso, praefati principes invictissimi et cetera.